



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

3. Tria debemus Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Gloria sit Patri, Genito cum Pneumate semper,
Debetur Triadi laus, decus, hymnus, honos.

N. Authores hujus hymni secundum substantiam sunt Angeli: eundem enim sensum præfert, quem Trifegion, & Doxologia Angelorum, Isa. 6. Luc. 2. Secundum formam verborum, plurimi scriptores meminerunt summam cum laude S. Ignatij Mart. ut Authoris ab Angelis edocti, qui in suo choro Antiochiæ sic primo instituit, a quo ad alias Ecclesias dimanavit. Fuit autem ille Ignatius secundum aliquos, Felix ille & graciosus parvulus, de quo Christus Matt. 18: nisi efficiamini sicut parvulus iste. Vide etiam div. 1. subdiv. 1. symb. 67. & R. P. Jul. Mazar. conc. 103. & Corn. a Læp. in epist. Rom 34. circa finem.

SYMBOLUM 3.

Tria debemus Deo

*Honorem Patri pro Creatione, Amorem Filio pro Redemptione,
Gratiarum actionem Spiritui S. pro Sanctificatione.*

A Nobis merito summum sibi polcit honorem,
E nihilo nobis qui dedit, Esse, Pa. er.

Et nostro Genitus cordi figatur amore,
Qui pendet, nostri fixus amore, Cruci.

Quas referam grates, quas non tibi debeo laudes;
Pneuma salutiferi fons & origo boni?

SYMBOLUM 4.

Tria debemus Proximis.

*Obedientiam Superioribus, Concordiam Paribus, Beneficentiam
Inferioribus.*

P Ræpositis pareto: Trias sic imperat; a quis
Ille præest, cujus legibus, iste subest.

Christiadum liget unanimes Concordia mentes,

Jucundum est placidâ, cum pare, pace frui.